



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Sebastiano Gryphio Typographo Lvcdvnm. XXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

142 IULII CÆSAR. SCAL.
leam, atque vtrumque Montanum salutem
Pridie Cal. Ianuar.

SEBASTIANO GRYPHIO
TYPOGRAPHO LVGDVNVM.
XXXVI.

MVLTVM diuque expectavi, dum ora-
tionem meam aut ederes, aut remitte-
res, quorum alterum facile fieri potuit, al-
terum etiam commode potuisse existima-
bam. Nam & frequentia comitantium
mercatorum vtiliuit tibi pro opera tabella-
riorum, quibus eam committeres, & quam
minimo sumptu describi tuis Typis elegan-
tissimis. Ac quanquam non queo adduci, vt
credam, te magni animi virum, atque bona-
rum vindicem literarum abductum lucro
hoc officii genus, quod erga feliciora inge-
nia præstas, in hac opera sumenda interrui-
pisse: tamen si me facias certiolem; quan-
tum tibi pecuniarum sit satis, quam pri-
mum feres. Amo enim illam, vel quod in
ea, inuita morte, etiamnum filiulus meus
spirat: vel quod illi defuncto successit ipsa,
quasi foetus alter metis. tanto carior, quod il-
le mortalis fuerit: hæc animi mei soboles
tuo auspicio nunquam interitura videatur,
Quod

Quod si eam tu minus vendibilem eruditioribus vereare: tum tu mi Gryphi nescias quanta in expectatione cunctæ pene Aquitaniæ sit. Sed istum sumptillum compensabis secundiore fortuna præsentis operis, quod ad te mitto. Nam ut sensi Gallorum animum aversum esse a poetica facultate, idque laudis paucorum ingeniis non sine obtrectatione vix exhauriri: orationum tantum edi ac circumferri, ut inspecto procul titulo, pro perlectis illico habeantur: amicorum instinctu appuli mentem meam ad eorum studiorum repetitionem, quæ ut grauia sunt plenissimaq. laborum, ita eorum commentationes pene solæ expetuntur. Refertus est liber cum medicina, tum vtriusque philosophiæ solidissimis monumentis: quæ præter & vulgi & eruditorum sententiam cum sint, nequeant æquo animo excipi, nisi tua gratia, atque sapientia æternitatem hanc meruisse videantur. Vale. Cal. Nou.

Mi Gryphi, gratissimū feceris, si rescripseris, quanti veneant opera Galeni Græca e Germania. Item Gentilis & Iacobi atque aliorum simul commentarii in Auicennam, ut ad te mittam pecuniam nundinis Ianuar.

Tuus in domino Iesu.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER.

CAROLO